



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

10. Morbum pro beneficio Dei esse agnoscendum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

ex haustis viribus, consumptis carnibus, debilitatis, ac velut contufis ossibus, marcescentibusque omnibus membris, quodammodo compellit eum intrare in conscientiam suam, & flagellis admonitum, cogitare de praeterita vitae delictis, de futurae periculis & poenis, ac resipiscentem agnoscere, detestari, confiterique pristinam impietatem. Hinc qui non omnino laxi sunt atque indurati, quando vident, ultimum sibi diem instare, si non vitro aduocant animum medicum, saltem libenter audiunt se moneri de confessione facienda; nec aliam unquam tam serio dolent, se peccauisse. Quamobrem David merito morbos *correctiones* atque *inreparationes* appellat, cum ait: *Inreparationibus propter iniquitatem corripuisti hominem.* Hac ipsa de causa, *Theodorica Colonienfis Ecclesia Pontifex, prudentia, & auctoritate inter Electores imperij facile princeps, teste Aenea Syluio, quarenti Sigismundo Casari, Quoniam pacto felicitatem consequi posset? Inter mortales, ait, frustra requiris. Potenti rursus, Ad caelestem illam, quo itinere pergeret? Recta, inquit. Instanti terso, Quid agens recta vaderet? Si vitam tuam ita institueris, duxerisq., inquit, ut facturum te promissisti, dum calculus, aut podagra, sine alia valetudo aduersa acris te oppressit. Docuit autem, morbum monere nos ad capesendam meliorem vitam. Quam multi, dum in dolore sunt, vitam meliorem promittunt? quam multi dum vruntur podagra, vinum abiurant? Sed quam primum conualescunt, in antiquam siluam redeunt, & saepe fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus: fitque in his, quod verior, quam melior versus ille iam dudum cecinit.*

*Damon languebat, monachus tunc esse volebat:*

*Postquam conualuit, demon, ut ante, fuit.*

Si tamen morbis uti velimus, ad quem eos Deus finem mittit, utique eis non modò tamquam flagellis officij nostri commonebimur, verum etiam tamquam pharmaco, ad animae veniemus sanitatem.

Itaque quicumque haec legis, immò quicumque morbos sentis, illa D. Augustini verba etiam atque etiam tecum trutina. *Disciplinam patris ne abicias fili, nemo filius, quem non corripit pater, sed noli desistere à disciplina Domini, & ne fatigeris dum ab illo argueris.*

Nn 3

Psal. 38. 24.

Aenea Sylu;  
lib. 2. commentar. de reb. gestis Alphonſi.

Math. 12. 45.

X.

S Augustin;  
tom. 9. lib. 7.  
de Visitatio-  
ne infirmorum

ris.

Prov. 3.

2. Cor. 12.

ris, quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Vis scire quia infirmitas corporis salutem anima parturit? Audi Dominum Apostolo respondentem: Virtus in infirmitate perficitur: ac si dicat, complectere quam pateris infirmitatem: quoniam ita proficies de virtute in virtutem. Si in infirmitate virtus augmentatur, virtus autem est salus anima: infirmitas corporis, quandoquidem per virtutem anima parit salutem, donum Dei est, non enim aliunde, nisi ex Deo salus anima. Flagellum ergo Dei ne contemnas, sed flagellatus dic Deo gratias, dilige corripientem, dilige corrigentem, dilige arguentem. Non in furore, non in ira, sed in misericordia aperi pulsanti, deuotus esto vocanti, gratias age miseranti: redi ad te, cogita parumper, cogita de DEO, pensa si potes, quoniam super omnia opera sua ipsius miserationes. Ipse Deus est, ipse iudex est, nec te vult damnari, nec te vult male iudicari, vult tui misereri, flagellat te misericorditer, qui in eum deliquisti pertinaciter. Deus meus, Deus meus audebo dicere, pace tua dicam, quoniam magno repletus gaudio dicam. In quodam ecstasis tripudio de te presumendo dicam, nisi quia Deus es, iniustus esses, quia peccauimus grauiter, inhaeremus peccato pertinaciter, gaudemus de peccato, post peccatum ambulamus. Extensis sollo peccatum nostrum predicamus, nec abscondimus, & tu placatus es: nos te provocamus ad iram, tu autem conducis nos ad misericordiam: nos irritamus te ad furorē, tu autem differs ad vindictam. Iusto exterminio punire poterat peccantes, subuertere negligentes: & patientia tua expectat nos poenitentes. Deus meus misericordia mea, numquid non haec est iniustitia? Sed numquid iniustitia apud Deum? absit. Quod enim sustinet Deus, iudex iustus patienter, quod iusta seueritas fletitur misericorditer: totum Deus est, neque enim aliter Deus esses, nisi fletereris, nisi patereris, nisi misereris, nisi Deus esses. Quodcumque igitur facis, tuum est. fac igitur Deus, quod facis, quia quod facis tuum est; quod tuum est, bonum est: quod igitur facis, bonum est, Deus meus misericordia mea.



CAPVT